
**De Ea, Quae Inter Timaeum Et Lycophronem Intercedit,
Ratione (Latin Edition)**

Guenther Paul

Title: De Ea, Quae Inter Timaeum Et Lycophronem Intercedit, Ratione (Latin Edition)

Author: Guenther Paul

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.





De ea, quae inter Timaeum
et Lycophronem intercedit, ratione.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Lipsiensis rite
impetrandos

scripsit

Paulus Guenther.

Nossenensis.



Lipsiae.
typis Max. Hoffmanni.
MDCCCLXXXIX.

Gl 25.47.10

v



Atherton Jd.

Curtio Wachsmuthio

sacrum.

Lycophronis Alexandrae, carmini illi et fabularum remotissimarum farragine et ampullis verborum a trito sermonis usu alienissimorum insigni et summa cum arte atque doctrina elaborato, si quis studium et operam impertire voluerit, viam primo obtutu variis difficultatibus obstructam munitiorem fieri intellet. Ut enim non commemorem iam apud veteres carmen illud cura et diligentia doctissimorum grammaticorum, inter quos non ultimo loco est habendus Theon¹⁾, Augusti temporum aequalis, excussum perpetuoque commentario instructum esse, ut mittam aliorum hominum doctorum interpretationes et annotationes, quae ubique in exeuntis Graecitatis compendiis lexicis glossematis sub incerti auctoris nomine vagantur²⁾, multo maiorem fructum praebent scholia illa vetera³⁾ ex Alexandrae praestantissimo codice Marciano n. 476 saecul. XI. petita et vasta illa scholiorum congeries a Tzetzza conflata⁴⁾, quorum auxilio, quamvis saepenumero nugae et pueriles ineptias redoleant, destituti interdum in interpretando hoc carmine incerti haereremus.

Sed quantumcunque illi viri de interpretatione Alexandrae Lycophroneae meruisse putandi sunt, de fontibus universi poematis, e quibus ingens illa fabularum mythorumque notitia fluxisset, ne illi quidem ullam sententiam ferre ausi sunt. Quamquam enim in scholiis nostris multi eique gravissimi auctores occurrunt, tamen, si accuratius inquisiveris, difficillimum esse fateberis ex prolixo illo auctorum

¹⁾ De quo conferas M. Schmidtium in *Zeitschrift f. d. Altertumswissensch.* 1853. p. 523—26. O. Giesium in libello, qui inscribitur: *De Theone grammatico eiusque reliquiis*, 1867. pag. 50 sqq. Schneide- rum: *Callimach. II*, pag. 36 sq.

²⁾ Quotquot in eis exstant loci ad carmen nostrum pertinentes collecti sunt a Scheerio edit. suae pag. XVIII—XXXII.

³⁾ Annexa invenies editioni Alexandrae a Kinkelio 1880 factae.

⁴⁾ Ad manus est editio M. Chr. Gtfr. Muelleri: *Ἰωάννου καὶ Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου σχόλια εἰς Ἀννόφωνα*, Lipsiae 1811. in lucem prolata.

numero communem omnium fabularum fontem indagare. Et num mirum est fontes earum fabularum in obscuro latere, quarum ipsa notitia a nullo saepe alio nisi a Lycophrone nobis affertur? Et cum iam sua aetate poëtam ex reconditionibus fontibus sua sumpsisse verisimillimum sit, quomodo fieri potest, ut nos omnium paene subsidiorum expertes in solvenda ea quaestione aliquid proficiamus? Quae cum ita sint, quamvis, ne singulae narrationis fontem recludamus, natura et indole carminis impediamur, tamen non omnem spem abiciendam esse censeo quadam ex parte latebris Lycophronis atri' (Stat. silv. V, 3. 157) quidquam lucis afferendi. Si enim totum carmen obiter perlegerimus et fabularum illarum magnam farraginem oculis perlustraverimus, in eis potissimum animum fixum esse facile tibi persuadebis, quae de erroribus et fatiis Graecorum Troia revertentium variisque casibus ad Italiae oram appulsorum fictae ad illustrandas origines urbium in Italia inferiore conditarum vel maximi sunt momenti (vv. 591—1280). Quicumque igitur in explicandis eis rebus studium collocabant, in eam quaestionem expediendam incubuerunt, cui fonti illae fabulae attribuendae essent, et aut omnes aut certe maiorem earum partem e Timaeo, historico illo Tauromenitano, sumptas esse suspicati sunt viri doctissimi, inter quos hoc loco satis habeo commemorasse H. Klausenium in eo libro, qui inscribitur: *Aeneas und die Penaten*, 1840. II, p. 578 sqq. et K. Muellenhoffium in libro, cui titulus est: *Deutsche Altertumskunde*, 1870. I, p. 426 sqq. Quam rem cum praeter ceteros ab eis, quos modo laudavimus, aut parum accurate aut minus recte disputatam esse videam, acta me acturum esse non puto, si denuo ad retractandam illam quaestiunculam transiero et in eam, quae inter Lycophronem et Timaeum intercedit, rationem, quoad eius fieri potest, inquisivero. Atque quo melius perspicias, quomodo rem in hac disputatione instituendam esse arbitrer: primum quidem pauca praefari licet, num eorum, qui de interpolatione quorundam nostri carminis versuum cogitaverunt, sententiae astipulandum sit, et de temporum rationibus, quibus Alexandra composita esse videatur: deinde, quales

Lycus Rheginus, Timaeus, auctor mirabilium illarum auscultationum, quae Aristotelis nomine circumferuntur, scriptores fuerint, demonstrandum erit: tum ad ipsam Alexandram transgrediemur rationemque inter eam et Timaeum intercedentem explicabimus.

Ac primum quidem nonnulla verba facere iuvat de rebus, quibus adducti viri docti singulos nostri carminis locos in dubitationem vocaverint. Initium autem capiendum erit ex schol. Lycophr. v. 1226.¹⁾, quo apparet iam antiquitus fuisse, qui versus inde a vv. 1226—80. Lycophroni Alexandrino poëtae derogandos esse opinarentur, quoniam aetate Ptolemaei Philadelphi secundi, Aegypti regis, imperium Romanorum nondum ad tantam potentiam evectum esse crediderunt, ut poëta, aequalis eius regis, ad concelebrandam huius laudem his versibus uti posset:

v. 1229: γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν
λαβόντες.

Quo argumento nisus Niebuhrius: *Kleine Schriften*, I. pag. 438 sqq. duos fuisse Lycophrones statuit, alterum, qui aetate Ptolemaei Philadelphi numero septem illorum poëtarum, qui Plias vocabantur, annumeratus eximiam tragici poëtae laudem meruisset, alterum, qui aliquanto post non ante centesimam quadagesimam septimam olympiadem devicto Antiocho, Syriae rege, huius carminis auctor fuisset. Cum deinde iam antea Foxius in *mus. Rhen.* vol. III (1829.), pag. 465 in hanc opinionem inclinasset, ut versus inde a 1226—80 ab interpolatore quodam profectos esse putaret, Welckerus: *Die griechische Tragoedie*, III. pag. 1259 sqq. non solum illos, quos commemoravi, versus, sed etiam vv. 1446—50 aliunde huic carmini intrusos esse tam firmis argumentis comprobasse visus est, ut, quicumque post eum de eadem re disseruerunt²⁾, sententiae illi Welckerianae aut nova argu-

¹⁾ Ἐντεῦθεν περὶ Ῥωμαίων λέγει καὶ Ἀνκόφρονος ἑτέρου νομιστέον εἶναι τὸ ποίημα, οὐ τοῦ γράψαντος τὴν τραγωδίαν· συνήθης γὰρ ὦν τῷ Φιλαδέλφῳ οὐκ ἂν περὶ Ῥωμαίων διελέγετο.

²⁾ Leop. Schmidtus in *mus. Rhen.* vol. VI. pag. 135 sqq., K. Fr. Hermannus eod. loc. pag. 610., qui allatis quibusdam explicationibus Aristophanis Byzantii ad carmen nostrum pertinentibus de altero inferioris aetatis Lycophrone huius carminis poëta cogitari minime posse dilucide demonstravit, Scheerius, qui in editione sua Lycophronis illos versus

menta suggerere studuerint aut omnino sese applicaverint. Nuper autem novam quandam viam ingressus est Wilamowitzius¹⁾, qui, ut mihi videtur, luculenta ratione non solum versus illos variis virorum doctorum conaminibus tentatos a poëta nostro non abiudicandos, sed etiam ad recte intelligendum totius carminis sensum omnino necessarios esse docuit: quo factum est, ut illa demonstrandi via interpretationi carminis nova lux allata sit. Quapropter cum a Cauero in mus. Rhen. sol. XLI, pag. 387. sqq. et a W. Christio in historia graecarum litterarum ei libro inserta, qui ab J. Muellero editus inscribitur: Handbuch der klassischen Altertumswissensch. 1889., VII. pag. 410 not. 7 vituperatus sit, tamen neuter, quo rem melius expediret, proposuit: ille enim non ita firmis causis sententiae eius adversatus interpolatoris manui rursus illos versus tribuit, hic de explicandi ratione ne verbum quidem facit. Ceterum nuperrime eadem, qua praeierat Wilamowitzius, via progressus est Spiro in Herm. vol. XXIII, pag. 194 sqq.

Quamquam igitur, ut iam leviter perstrinxi, Wilamowitzianae sententiae facere non possum, quin omni ex parte assentiar, tamen recentiore aetate fuerunt viri clarissimi, qui non propterea illos versus, de quibus controversia nata est, e textu carminis removendos esse arbitrati sint, quod nimia istisque temporibus immerita laus rebus Romanis afferri videretur, sed vel alia ex causa, quae memoratu haud indigna videtur esse. Cum enim eis versibus fabula illa de Aeneae in Italiam adventu enarraretur, nonnulli eique gravissimi viri docti²⁾ fabulam illam Lycophronis aetate nondum tam vulgatam necdum tam in omnium ore fuisse contenderunt,

uncis seclusit, C. Immischius: De glossis lexicis Hesychiani Italicis. Stud. Lips. VIII., pag. 281.

¹⁾ De Lycophronis Alexandra commentatiuncula Ind. Schol. Gryphisw. per. sem. hib. 1883/84 habend. praemissa, quam, quoniam singula eius argumenta repetere supersedeo, velim adeas.

²⁾ Hac imprimis causa adducti H. Nissenius in Fleckeis. ann. vol. XCI, pag. 375 sqq. et Cauer primum quidem in dissertatione sua, quae inscribitur: De fabulis graecis ad Romam conditam pertinentibus, 1884. pag. 28. sqq., tum in Fleckeis. ann. supplement. vol. XV., pag. 127 sqq. denuo ad pristinam Welckeri sententiam confugerunt et interpolatione quadam initio alterius a. Chr. saeculi in maiorem Romae urbis gloriam facta hoc carmen turbatum esse putaverunt.

ut a Graeco poeta tantis laudibus efferri potuerit. Sed circumspiciamus, utri sententiae dissentientibus viris doctis maior probabilitas accedere videatur. Quid tandem, si singula de origine illius fabulae testimonia examinaveris, quae diligentissime congesserunt viri doctissimi A. Schwegler: Roem. Geschichte, I.² pag. 305 sqq. et L. Preller: Roem. Mythologie, II.³ pag. 310 sqq., obstat, ne eam fabulam Lycophroni vel ei, ex quo ille hausit, notam fuisse existimemus? Ut enim silentio praetermittam Cephalonem illum Gergithium, de cuius aetate nihil certi constat, nisi quod Dionys. Hal. I, 49, quo loco mentionem eius facit, inter scriptores ἀρχαίους καὶ λόγους ἀξίους eum refert, eandem fabulam agnovisse, ne commemorem quae Hellanicus quinti a. Chr. saeculi auctor apud eundem Dionys. I, 72. de eadem fabula memoriae prodidit, quod testimonium parum aptis causis infringere studet Schwegler l. c., nonne Callias rerum ab Agathocle gestarum scriptor, Timaeus, auctor apud Pausan. I., 12. 1, sive ille ex Timaeo sive ex Hieronymo Cardiano hausit, disertis exemplis videntur comprobare fabulam illam Aeneiam de origine urbis Romae circumlatam iam initio tertii a. Chr. saeculi inter Graecorum scriptores divulgatam esse?¹⁾ Et quid tandem mirum est apud Romanorum auctores bello Punico primo confecto demum

¹⁾ Non ita multo ante bono fortunae casu factum est, ut tempus, quo fabula Aeneia ex Troianorum finibus emigraverit aliasque terras occupaverit, nunc aliqua ex parte accuratius definire possimus. Nummus enim quidam, cui praeter cetera effigies et nomen Aeneae impressa sunt, in Aenea urbe Chalcidices paeninsulae nuper repertus est, qui summa cum verisimilitudine iam mediae sexti a. Chr. saeculi parti assignandus est: unde elucet istis temporibus Aeneae fabulae notitiam in ea regione percubuisse. De quo conferas imprimis Friedlaenderum in: Monatsberichte der Berliner Akademie, 1878. pag. 759 sqq., Robertum in: Archaeol. Zeitung, 1879. pag. 23 sqq., Friedlaenderum in: Zeitschrift f. Numismatik, VII. 1880. pag. 222. Deinde Woerner potissimum diligentia disquisitum est (Die Sage von den Wanderungen des Aeneas bei Dionysius v. Halikarnass und Vergilius, 1882), quam paulatim illinc notitia eius fabulae ad singulas Graeciae civitates ad mare praecipue sitas permanaverit, porro, praesertim cum variis a Graecia in occidentales regiones deductis coloniis navigatio et commercium maiora caperent incrementa, in Sicilia et in Italia inferiore late patuerit, ita ut non omni careat probabilitate, si iam Thucydidi VI, 2. vel potius ei, quem in usum suum convertit, Antiocho Syracusano (cf. Woelfflinum: Antiochus v. Syrakus und Caelius Antipater, 1872. pag. 10) eandem fabulam innotuisse statuamus. Praterea respiciendus est M. Zoeller in recensione Caueri libellorum facta in: Philol. Anzeiger, 1887. pag. 685 sqq.